



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronicon Cisterciensis Ordinis

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

70. Qvot Et Qvales Panni In lecto sint necessarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11259

Necesse est vt à societate fratrum fidelium
ouis moribunda remoueatur. Cæterùm Ma-
gister, qui baculum & virgam manu tenere
debet; baculum videlicet, quo aliorum vi-
rium imbecillitates sustentet; virgam quoq;
qua vitia delinquentium zelo rectitudinis fe-
riat: consilio Patriarchæ & spiritali confide-
ratione id agere studeat, ne, vt ait B. Maxi-
mus, aut solutior lenitas cohibentiam pec-
cantis, aut immoderata seueritas à lapsu non
reuocet delinquentem.

VT A PASCHALI SOLEMNITATE 69.

*vsque ad festum Omnium Sanctorum vnâ ca-
misiâ lineam tantùm sumere
habeat.*

Interea, quo nimio ardore Orientalis
regionis misericorditer consideramus, vt à
Paschali festiuitate vsque ad Omnium San-
ctorum solemnitatem vnicuique vna cami-
sia linea tantùm, non ex debito, sed solâ gra-
tiâ detur; illi dico, qui ea vti voluerit: alio
autem tempore generaliter omnes camisias
laneas habeant.

QVOT ET QVALES PANNI IN 70.

lecto sint necessarij.

Singulorum quidem, non aliter, per sin-
gula lecta dormientium dormire, nisi per-
maxima causa vel necessitas euenerit, com-
muni consilio conlaudamus. Lectualia vel
lecti-

lectisternia moderata dispensatione Magistri vnusquisque habeat: credimus enim potius faccum, culcitram & coopertorium vnicuique sufficere. Qui verò ex his vno carebit, carpitam habeat, & in omni tempore tegmine lineo, id est, veluso frui benè licebit. vestiti autem camisijs dormiant, & femoralibus semper dormiant. Dormientibus itaque fratribus, iugiter vsque mane nunquam desit lucerna.

**DE VITANDA MVRMVR-
ratione.**

AEmulationes inuidas, liuorem, murmur, susurrations, detractiones, diuina admonitione vitare, & quasi quandam pestem fugere vobis præcipimus. Studeat igitur vnusquisq; vigilante animo, ne fratrem suum clam culpet aut reprehendat, sed illud Apostoli studiosè secum animaduertat: Ne sis criminator, ne susurro in populo. Cùm autem fratrem liquidò aliquid peccasse agnouerit, pacificè & fraterna pietate, iuxta Domini præceptum, inter se & illum solum corripiat: & si eum non audierit, alium fratrem adhibeat; sed si vtrumque contempserit, in conuentu publicè obiurgetur coram omnibus. Magnæ enim cæcitatatis sunt, qui alijs detrahunt: & nimix infelicitatis sunt, qui se à liuore minimè custodiunt; vnde
in an-